

etii Ugolorum Blancardum, qui cum Vicecomitis exercitu in Cremonensi agro erat, advocant: implorataque prius defectionis venia, & ad eam impetrandam stipendii nomine ingenti pecunia collata, in urbe accipiunt: quam miles prædæ cupidus tumultuose ingressus, a direptione contineri non potuit. Uxor Galeacii tam claræ urbis casum miserata, triduo postquam diripi cœpta est, injuriam inhibuit. Rubertus interea questus, se pacto stipendio a sociis fraudari, soluta Patavinæ arcis obsidione, in Germaniam cum copiis abiit. Tum Florentini Joannem Haucutum, virum ea tempestate clarum, Novello cum validis copiis auxilio misere: cuius fida ac strenua opera arx brevi recepta est. Multi variique fuerunt deinceps utrinque conatus: sed quia illos ipsos parum ad Venetos pertinere video (nam in continenti ora, & quam longissime a mari cætera gesta dicuntur) consulto prætereo. Pax demum in decem annos secuta est, quæ afflictis Galliæ rebus non magis grata, quam opportuna fuit. Per id tempus, quo hæc gesta sunt, Dux Austriæ Venetias venit, ubi benigne acceptus tam diu fuit, donec duæ ejus nomine ornarentur triremes, quibus ille ad Christi nostri Regis sepulchrum visendum profectus est. Applicuit eodem anno & Galliæ Regis nepos: cui nihilo minores, quam paulo ante Germano Duci, publici exhibiti sunt honores. Is quoque, triremi una suo sumptu instructa, in Syriam eodem nomine quo Germanus Dux, navigavit. Procedente tempore, quum terra marique omnia pacata essent, allatum est, cetheam Ligusticam miræ magnitudinis ad ocia maris infestanda Genua profectam. Ad quam famam Veneti & ipsi tres ingentes naves cum quingentorum armatorum præsidio in altum eduxere. Sed ubi Genuensis illa fœda tempestate disjecta periit, Venetæ incolumes se domum recepere. Urbs in tam longo ocio nonnullis publicis exulta est operibus, Rivaltina area, & quæ ante Auream ædem late spatiatur, lateribus quadratoque lapide instratis. Venerius Princeps anno sui Ducatus duodevicesimo obiit. Ejus funus frequens civitas ad Gemellorum fanum extulit.

Mi-

1390

1392

Dux Au-
striæ Vene-
tias venit,
ut & Gal-
lia Regis
nepos.

1394

Urbs novis
ornata ope-
ribus.